

ris mentionem facit, ejusque sectatores graviter reprehendit his verbis: *Pueros vero, etiam qui nondum divina mysteria intelligere possunt, divini ortus participes fieri, sanctissimorumque divinæ societatis signorum, videtur quidem, ut ais, non sanatis hominibus, et a religione nostra abhorrentibus merito risu dignissimum, si eos, qui audire non possunt divina, Pontifices docent, et non intelligentibus frustra ea, quæ sancte tradita acceperunt, tradunt.* Et post multa: *Hoc quoque de hac re dicimus, quod divini nostri Pontifices a veteribus acceptum nobis tradiderunt. Aiunt enim, id quod etiam verum est, pueros si in sancto instituto ac lege instituuntur, ad sanctam animi constitutionem perventuros esse ab omni errore solutos ac liberos, et sine ullo vitæ impuræ periculo.* Quod postea latius prosequitur, declarans, quanta his infantibus utilitas ex baptismo proveniat, et quomodo per sponsores, eorum ignorantia, atque impotentia Ecclesia subveniat. Unde Chrysost. tom. 4, homil. de Adam et Eva (si illius est): *Prædicat (inquit) Ecclesia Catholica ubique diffusa, debere baptizari parvulos propter originale peccatum; et tom. 5, ad Neophytos: Hac (inquit) de causa etiam infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint omnes, ut Spiritus habitatio fiant.* Hanc etiam esse Apostolicam traditionem dixit Orig., l. 5 in ad Roman., circa illa verba cap. 6: *Qui mortuus est, justificatus est a peccato.* De qua eleganter etiam scribit Hieronym. allegans Cyprian.; et August., lib. 3 contra Pelag., in ultimis verbis; et Prosper, 2 de Vocatione gentium, cap. 8; et Gregor., lib. 7 Reg., epist. 57, et in Respons. ad August., Resp. 40. Optime Gregor. Nazian., orat. 40, § Omnes ætatum gradus attingit, inter alia inquit: *Infans tibi est? ne occasionem improbitas arripiat, ab infantia sanctificetur, ab ipsis unguiculis Spiritui consecretur; sic etiam dixit Basilus, homil. 43 ex Variis, nullam ætatem non esse opportunam suscipiendo baptismo. Quam sententiam habet etiam Irenæus, lib. 2 contra hæres., c. 39, expresse nominans infantem, parvulos, pueros, juvenes, et seniores.* Multa etiam de hac re scribit Bernard., epist. 77, 240, serm. 66 in Cantic. Atque hoc etiam confirmant omnia, quæ ex Pontificibus et Conciliis præcedenti sectione adduximus. Nam illa non solum explicant potestatem, sed etiam usum et Ecclesiæ consuetudinem de-

clarant. Ratio vero hujus assertionis est: nam in primis constat hoc esse licitum, cum nec per se et ex objecto sit intrinsece malum; neque etiam sit jure positivo prohibitum. Primum patet, quia hæc actio non habet prævum objectum, cum nec sit injuriosa proximo, sed potius utilissima, ut dicemus; nec sacramento, cum detur homini capaci et non indigno; nec Christo aut Deo, cum cedat potius in honorem ejus et religionis augmentum et animarum salutem. Secundum patet, quia tale jus positivum, neque divinum, neque humanum est; neutrum enim scriptum est, aut traditum, neque ab aliquo ostendi poterit.

3. *Convenientia baptismi infantum, ex parte ipsorum.* — Rursus, supposita actus honestate, facile est intelligere convenientiam ejus, supponendo, quod certissimum est, baptismum dare infantibus suum effectum, ut affirmant Patres omnes nuper citati, et expresse Justinus, quæst. 56, ad Gent., et sentit Damasc., lib. 4, cap. 40, et ratione patet, quia omne sacramentum confert suum effectum non ponenti obicem; infantes autem neque ponunt, neque possunt ponere obicem, ut per se constat; recipiunt ergo sacramenti effectum; est ergo eis utilissimus baptismus; liberantur enim a potestate diaboli; fiunt Christi et Ecclesiæ membra; præveniuntur, ne repentinis et inopinatis casibus obruantur, ac perpetuo pereant; armantur adversus dæmonis tentationes, ac denique disponuntur, ut firmiter ac stabiliter illis adhæreat religio; ergo ex parte ipsorum infantum est maxime conveniens hæc actio, nec in hoc læditur eorum libertas, sed perficitur potius ac liberatur. Atque ideo etiam ex parte sacramenti, non est cur expediat hanc actionem differri, quia tenentur parvuli, cum ad annos discretionis pervenerunt, in religione, quam professi sunt, perseverare; et ad hoc merito cogi possunt, non minus quam si in adulta ætate essent baptizati, ut dicemus. Et quamvis negari non possit, quin, cæteris paribus, perfectior modus sanctificationis et susceptionis baptismi sit per proprium consensum propriamque dispositionem, tamen hoc solum habet locum supposita capacitate; tamen propter alias causas majoris momenti non expedit, illam capacitatem expectare, sed melius est prius sanctificari modo illi ætati accommodato, et postea per propriam dispositionem ac meritum in sanctitate crescere, ac confirmari.

4. *Dubitatio.* — Respondetur. — Sed quæres,

an baptizare hos infantes non solum liceat, et expediat, verum etiam præceptum sit. Respondetur primum, si necessitas urgeat, ita ut infans sit in probabili mortis periculo, certum est hoc esse in præcepto, tum ex generali lege charitatis, qua tenemur subvenire proximis extreme indigentibus, præsertim in spirituali necessitate; tum ex lege pietatis, qua parentes tenentur filiis providere; tum etiam ex lege justitiæ, respectu pastorum Ecclesiæ, qui ex officio tenentur, sacramenta subditis ministrare temporibus opportunis et præsertim in necessitatis articulo. Neque in hoc videtur esse ulla dubitandi ratio; quin potius Tertullian., libro de Baptis., cap. 18, existimat, in hoc solo articulo esse parvulos baptizandos. Nam si necessitas non urgeat, convenientius judicat annos discretionis expectare: *Ne sponsores (inquit) qui pro baptizato promittunt, periculo se exponant non implendi quod promittunt, propter varias causas, quæ in infantia occurrere possunt.* Sed in hoc, ut in aliis, graviter erravit Tertullianus, ut probatum est. Nec incommodum illud, quod affert, est alicujus momenti; nam satis est, quod sponsor id præstet, quod commode potuerit; quod si ipse defecerit, ad Ecclesiæ pastores pertinet instruere infantem, aut aliquem providere, qui hoc munus in se suscipiat.

5. *Extra necessitatem nullum præceptum obligat, ut pueri baptizentur ante usum rationis.* — Objectio. — Diluitur. — Deinde addendum est, extra casum necessitatis nullum extare divinum præceptum, quod obliget ad baptizandos hos infantes filios christianorum ante usum rationis. Neque enim Scriptura vel traditione ostendi potest de hac re positivum præceptum, neque etiam est naturale, quod ex aliis principiis fidei necessario sequatur. Dices: ipsa quotidiana necessitas et morale periculum, quod est in illa tenera ætate, videtur esse sufficiens causa, ut ex vi institutionis baptismi orta sit hæc obligatio. Respondetur, hanc quidem rationem ostendere rem esse valde convenientem, non tamen simpliciter necessariam, quia illa necessitas non est tanta, ut ex illa oriatur morale periculum moriendi sine baptismo, præcipue cum hoc sacramentum possit tanta facilitate administrari, ut rarissime possit evenire casus, in quo moraliter ob acceleratam infantis mortem dari non possit. Quin potius Greg. Naz., dict. orat. 40, significat, in necessitate quidem baptizandum esse infantem sine ulla mora;

tamen extra illam expectandum esse triennii tempus, ut per se possit infans, aliquo modo respondere et annuere. Hoc autem Nazianzeni arbitrium habuit fortasse sua ætate locum; nunc vero servandum non est, nec per se loquendo, potuit unquam esse necessarium, aut expediens. Quia si triennium expectandum esset, melius esset usque ad rationis usum expectare; nam alias quid refert illa dilatio usque ad tertium annum? aut quid interest verbis respondere, si mens non concipit, neque intelligere valet, ita ut credat et libere consentiat? sane neque ad suscipientis commodum, neque ad sacramenti reverentiam hoc utile est, et alioqui majus infantum periculum est in ætate tenuiori.

6. *Ecclesiastico jure necessarium est pueros baptizare ante usum rationis.* — Ultimo ergo addendum est, Ecclesiastico jure necessarium esse baptizare hos infantes ante usum rationis. Etsi enim de hac re non invenio jus canonicum, quod scriptum sit, tamen recepta Ecclesiæ consuetudo sufficiens videtur ad hoc jus introducendum, cujus indicium esse potest, quod si quis fidelium vellet contra hanc consuetudinem agere, magnum scandalum in aliis generaret, nisi evidens aliqua necessitas ad baptismum differendum cogeret. Quocirca et pastores Ecclesiæ tenentur adhibere curam, ut hi parvuli mature baptizentur, et parentes etiam tenentur eos ad baptismum offerre. Quod si ipsi negligentes sint, vel etiam si sint inviti, pastores Ecclesiæ eos debent obligare et cogere, vel, si opus sit, etiam ipsis invitatis filios baptizare, quia neque horum consensus est simpliciter ad baptismum necessarius, ut dixi, neque habent jus differendi filiorum baptismum contra legem, seu consuetudinem Ecclesiæ.

7. *Aliud dubium.* — Respondetur. — Sed quæres tandem, pro quo tempore urgeat hæc obligatio. Respondetur in primis, expectandum esse, ut infans sit perfecte natus ex utero matris, nam qui omnino natus non est, ita ut aqua contingi non possit, nullo modo baptizari potest, quia ut recte dixit August., lib. 6 contra Julian., cap. 5, nec per se abluipotest, ut per se constat, nec per matrem, cum revera sit persona ab illa distincta, et animam habeat propria et distincta peccati macula affectam. Qui vero nasci incepit, baptizari integre non debet, donec integre ac perfecte nascatur, quia ordinarie non renascitur, nisi qui jam semel natus est, ut August. dixit epist. 57. Hoc autem intelligendum est

extra casum necessitatis; tunc enim et ad reverentiam sacramenti, et ad corporale commodum ipsius infantis pertinet, ut aliquantum differatur baptismus, et commodius tempus expectetur. Propter necessitatem vero baptizari potest et debet infans ante perfectam nativitatem ex utero, ut dicemus in Commentario art. 11, ubi exponemus, quid tunc temporis agendum sit. Post perfectam vero nativitatem corporalem, non potest certior regula assignari, quam ut baptismus non nimium differatur sine causa contra Ecclesiae consuetudinem; quanta vero possit esse dilatio, et quando sit nimia censenda, prudenti arbitrio relinquendum est.

8. Ad fundamentum contrarii erroris jam fere responsum est; diximus enim nihil esse periculi, quoniam hujusmodi baptizati infantes, cum ad annos discretionis perveniunt, non sunt amplius suo arbitrio relinquendi, sed obligandi sunt, et cogendi ad perseverandum in religione suscepta, ut Concil. Trident. definit supra can. 14, et latius in materia de fide ostenditur, quia per baptismum hoc jus Ecclesiae acquiritur, quod potuit Christus ei dare, ac merito dedit, ut ex ipso usu et traditione constat, quia necessarium erat, ut et hominum necessitati subveniretur, et sacramenta, ac religio christiana debito honore tractarentur. Neque in hoc fit injuria infanti, tum quia hoc ipso, quod ex christianis nascitur, ipso jure nativitatis est subditus Ecclesiae, sicut filius ancillae est servus, filius Hispani est subditus regi Hispaniae; tum maxime, quia totum hoc negotium cedit in bonum et maximam utilitatem ipsius infantis, et re ipsa nullum fere novum pondus illi imponitur, nam jure divino tenetur, cum ad usum rationis pervenerit, Christi fidem profiteri, et ejus praeceptis obedire; quod autem speciali modo subdatur Ecclesiae, revera potius est commodum, quam onus, ex quo majorem gratiam, majusque auxilium consequitur ad id praestandum quod jure tenetur.

SECTIO III.

Utrum liceat infantes infidelium filios baptizare, parentibus invitatis, quando parentes nullo modo sunt Ecclesiae subditi.

1. *Titulus explicatur.* — *Duplex infidelium conditio.* — *Quorundam Theologorum sententia.* — *Primum fundamentum praedictae sententiae.* — Postquam dictum est de filiis

christianorum, dicendum sequitur de filiis infidelium. Et est sermo de solis infantibus, nam adulti, ut diximus, sunt in hoc negotio juris sui; et ideo neque quoad factum, neque quoad jus, pendent in eo a voluntate parentum. Infantium vero baptismus, quamvis non pendeat quoad factum, seu, ut datus teneat, pendere tamen potest quoad jus dandi, id est, ut juste et licite detur, et hoc est, quod inquirimus; loquor autem in titulo hujus sectionis de infidelibus, qui nullo modo sunt Ecclesiae subditi. Est enim considerandum, quosdam esse infideles, subditos Ecclesiae directe, ratione potestatis et jurisdictionis spiritualis; hujusmodi sunt omnes apostatae, qui post susceptum baptismum defecerunt a fide, sive in haeresim inciderint, sive in judaismum, aut paganismum declinaverint, et de his nulla est controversia, quin Ecclesia habeat jus baptizandi eorum infantes, etiam si parentes renitentur. Nam ipsos etiam parentes potest ad fidem servandam cogere, et poena etiam mortis afficere, si pertinaces sint; multo ergo magis potest eos privare potestate, quam in filios suos habent. Praeterquam quod, ut supra ostensum est, ex vi nativitatis ex parentibus baptizatis, et subditis Ecclesiae, habet eadem Ecclesia jus et potestatem directam in ipsos filios, ut eos initiare possit, et in religione instituere. Alii vero sunt infideles, qui nunquam baptizati fuerunt, qui non sunt directe subditi spirituali jurisdictioni Ecclesiae, et hi sunt in duplici differentia: quidam sunt subditi Ecclesiae, seu principibus christianis, quoad jurisdictionem seu dominium temporale, de quibus dicturi sumus sectione sequenti. Alii vero sunt, qui nullo modo, nec spiritualiter, nec temporaliter subjiciuntur Ecclesiae, de quibus est praesens dubitatio. In qua nonnulli Theologi affirmant, per se loquendo, posse Ecclesiam baptizare hos infantes sine consensu parentum, imo illis etiam invitatis. Haec sententia solet tribui Scoto in 4, d. 4, quaest. 9, sed ibi hoc non docet. Non enim loquitur de his infidelibus, sed de aliis subditis christianis principibus, de quibus etiam loquuntur Durand. et Gabr., ut postea dicemus; unde nullum Theologorum invenio, qui expresse hanc sententiam doceat; si qui tamen sunt, qui existiment hujusmodi infideles posse cogi vel ad suscipiendam nostram fidem, vel saltem ad emendandos errores, et tollenda vitia legi et rationi naturali contraria, et ad fidem audiendam, et non impediendum eos,

qui converti velint, hi consequenter dicent, posse juste baptizari hos infantes, invitatis parentibus; sed de illa sententia, ejusque falsitate non est hic dicendi locus; habet enim proprium in 2, 2, quaest. 10, ubi interim videri possunt interpretes; et reliqui Scholastici in 4, dist. 4, 5, et 6; Gines Sepulved., lib. 7 Polit., cap. 2, et Greg. Lop., partit. 2, tit. 23, leg. 3, qui duo auctores singularem illam sententiam defendunt. Quod vero ad praesentem rem spectat, potest haec sententia fundari duplici via. Prima est, quia Ecclesia videtur ad hoc habere potestatem directam. Potuit enim Christus illam dare, ut per se notum est, nam majus et excellentius dominium habet in quoscumque infantes, quam habeant parentes. Et videtur dedisse; nam verba ejus generalia sunt, *Docete omnes gentes, baptizantes eos*. Nam sicut Christus instituit, ut baptismus esset medium necessarium etiam his infantibus, ita etiam praecipit, eos baptizari; sicut ergo praecipit generale est, ita et potestas baptizandi; ergo quamvis parentes resistant, possunt filii baptizari; nam in hoc ipsi faciunt contra Christi praecipitum, et contra potestatem Ecclesiae datam; unde in hoc illi irrogant injuriam; ergo merentur ipsi privari potestate, quam habent in filios. Et confirmatur. Nam in lege naturae poterat quicumque fidelis offerre Deo alienum infantem, eique remedium contra originale peccatum applicare, invito parente; ergo hoc jus translatum nunc est in Ecclesiam; alias nunc essent deterioris conditionis hujusmodi infantes.

2. *Secundum fundamentum.* — Secundum fundamentum esse potest, quia saltem indirecte videtur habere Ecclesia hanc potestatem ipso jure naturae, quia potestas defendendi innocentes, omnibus est jure naturae concessa; sed hi infantes sunt innocentes et infirmi, et summam injuriam a parentibus patiuntur, et maximum detrimentum; ergo licet eos defendere, et hoc jure eos eripere, si opus fuerit, de potestate parentum, ut secure baptizentur. Et confirmatur primo, nam parentes accipiunt potestatem in filios, ut eos in pietate instruant, et veri Dei cultu; sed ipsi abutuntur hac potestate contra Dei honorem, et contra filiorum salutem. Non est ergo, cur hoc jus eis servetur; ergo, non obstante hoc jure, possunt baptizari, invitatis parentibus. Confirmatur secundo, quia si parens vellet interficere filium, jure possemus illum cogere, ne id faciat, quia abutitur na-

turali jure, quod in illum habet; ergo multo magis hoc licet, si mortem illi spiritualem procuret, dum non permittit illum baptizari.

3. *Conclusio.* — *Ratio conclusio.* — Nihilominus dicendum est, non posse hos infantes jure baptizari, invitatis parentibus, neque privata auctoritate, neque publica. Haec est sententia D. Thom. hic, et 2, 2, quaest. 10, art. 12, quam sequuntur omnes ejus discipuli utroque loco; Cajet., Capr., Palud., Sot., d. 5; Richard., d. 6, art. 3, quaest. 3; Marsil., in 4, quaest. 4, art. 4; Anton., 2 part., tit. 12, cap. 2, § 4. Ut fundetur haec conclusio, supponendum est, hujusmodi infideles non posse juste cogi ad suscipiendam fidem per bellum, aut injuriam aliquam. Ita statutum est in cap. Qui sincera, 45 dist., ex Greg., lib. 11, epist. 15, et idem sumitur ex eodem Greg., lib. 2, cap. 91, epist. 52. Idem statuitur in Concil. Tolet. 4, cap. 56, et habetur in cap. De Judaeis, 45 dist. Idem statuitur in cap. Sicut Judaei, de Judaeis et Sarac. De qua re latius tractatur in materia de fide. Secundo supponendum est, jure naturae patrem habere jus in filium, ut eum instituat, et in rebus omnibus dirigat, atque gubernet; praesertim, quamdiu filius propria voluntate regi non potest, quia filius ex vi originis est aliquid patris, et ideo est sub patria potestate, ita, quia pater jure naturae tenetur providere filio, ac res illius diligenter curare; ergo e contrario, ut sit aequalitas, jus in filium ex natura rei ad parentem spectat. Ex his ergo concluditur ratio, nam duobus modis intelligi posset baptizare hos infantes filios infidelium: uno modo eripiendo eos parentibus, alio modo relinquendo eos sub eorum cura et potestate. Prior modus includit apertam injuriam; non sunt autem facienda mala, ut eveniant bona. Assumptum patet, quia privantur parentes naturali jure, et quasi dominio, quod habent in filios, quod juste fieri non potest, quia Ecclesia nullam habet potestatem supra hos infideles, nec potest illos privare rebus suis, ut convertantur ad fidem; non ergo potest privare illos filiis suis, ut eos baptizet. Secundus vero modus imprimis includit apertum sacrilegium, nam ut dicitur in Concil. Tolet., cap. 59, non possunt moraliter loquendo, infantes baptizati educari sub cura parentum infidelium, quin eorum involvantur erroribus, in quo fit magna injuria christianae religioni, et ipsi sacramento baptismi, ut inferius latius dicemus. Deinde esset hoc etiam contra justitiam, quia hoc ipso

quod infans baptizatur, potest Ecclesia, si oportuerit, ad tuendum honorem suscepti sacramenti, et ut semel baptizatus in fide suscepta instruat ac perseveret, potest (inquam) eum a patria potestate eripere; nam hoc jus acquirit ex vi characteris baptismalis; ergo si Ecclesia non potest filios auferre ab his infidelibus, neque etiam potest id facere, ex quo hoc necessario consequitur. Denique quia cum parens jure naturæ habeat hoc jus in filium, quacumque ratione alius velit uti hoc jure contra voluntatem patris, usurpat alienum jus. Et confirmatur, quia nullibi legitur, Christum dedisse Ecclesiæ hanc potestatem; neque enim hoc scriptum est, ut per se constat, et videbimus solvendo argumenta. Neque etiam est traditum. Nullus enim sanctorum Patrum id docuit; neque ex usu Ecclesiæ id colligi potest; nunquam enim Ecclesia hoc facere consuevit. Unde confirmatur, nam si Ecclesia haberet hanc potestatem, posset hoc titulo solo justum bellum omnibus his infidelibus inferre, ut permitterent filios suos baptizari, et consequenter etiam instruere eos in religione christiana, et præservare ab omni morali periculo, et proxima occasione retrocedendi; hoc autem est plane absurdum et contra omnem usum et sensum Ecclesiæ.

4. Respondetur argumentis primæ sententiæ. — Ad primum. — Ut autem hujus rationis vis apertius constet, oportet statim respondere argumentis primæ sententiæ. Ad primum negamus, Christum dedisse hanc potestatem Ecclesiæ; illa enim verba: *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, directe ac primario respiciunt adultos, qui sunt capaces doctrinæ, per quam trahendi sunt ad baptismum; infantes vero, qui per se capaces non sunt doctrinæ, per parentes trahendi sunt, quorum voluntati sunt commissi, ut per eam gubernentur. Atque ita, licet baptismus respectu illorum sit medium necessarium, tamen eis applicandum est conveniente modo, et servato justitiæ ordine. Et similiter quamvis præceptum baptismi sit generale, tamen directe non cadit in infantes ante usum rationis, quia pro tunc non sunt capaces præcepti. Pertinet ergo ad illos mediis parentibus, qui tenentur et fidem suscipere, et filios suos in ea instituere, et per baptismum initiare. Licet autem parentes hoc præceptum violent, non possunt ab Ecclesia puniri, aut ad illud servandum cogi, quia cum non sint subditi Ecclesiæ, non habet Ecclesia vim coactivam in illos.

5. Ad confirmationem. — Ad confirmationem autem de tempore legis naturæ, Soto, concessio antecedenti, negat consequentiam. Est enim, ut psii videtur, ratio valde diversa, quia in lege naturæ remedium contra originale peccatum, vel nullam externam caeremoniam requirebat, vel saltem non fiebat præscripto ac definito ritu, neque imprimebat characterem, ex quo oriretur specialis obligatio ad specialem modum divini cultus et religionis servandum, sicut nunc oritur ex baptismo. Et ideo non videbatur tunc fieri injuria parenti offerendo infantem vero Deo eique fidem applicando, quia ad hoc non oportebat subtrahere filium e parentum potestate. Quæ sententia videtur probabilis. Melius tamen ac facilius, magisque consequenter respondetur negando antecedens, quia injuria, quæ nunc fit parenti, baptizando infantem ipso invito, non oritur ex determinato ritu baptismi, neque ex characterem, sed ex jure paterno in filium, quod idem erat in lege naturæ, ac modo est. Deinde, quamvis tunc non imprimeretur character, tamen infundebatur fides supernaturalis per illud sacramentum legis naturæ; ergo fieret contra reverentiam debitam sacramento et ipsi fidei, applicando illud remedium infanti educando sub cura parentum infidelium, et existenti in evidenti periculo apostasiæ. Si ergo liceret illis infantibus tale sacramentum dare, liceret etiam eos eripere a patria potestate, ne in periculo apostasiæ relinquerentur. Omitto valde incertum esse, per quos possit in illo statu valide applicari tale remedium, nam fortasse soli parentes, vel qui eorum jus obtinebant, seu in eorum locum succedebant, habebant hanc potestatem applicandi fidem suam parvulis, cum eo tempore non esset alius specialis ritus sacramenti institutus. De qua re in superioribus dictum est.

6. Ad alterum fundamentum. — Ad primam confirmationem. — Ad secundam confirmationem. — Ad secundum fundamentum respondetur licere quidem innocentes defendere jure naturæ, quando injusta vis eis infertur in his rebus, quæ ipso jure naturæ sunt homini debitæ. Defensio enim solum habet locum, ubi intercedit coactio et vis, vel manifesta fraus repugnans naturali justitiæ: at vero parentes infideles, qui nolunt baptizari filios suos, nullam eis vim inferunt, proprie loquendo, neque eis faciunt propriam injuriam, neque abutuntur jure suo

contra debitum justitiæ ordinem, sed contra legem fidei, et contra pietatem non mere naturalem, sed ut regulandam per fidem, et supernaturalem cognitionem, cujus peccati, ut diximus, Deus est vindex. Nam de his, qui foris sunt, nihil ad nos, ut dicitur 1 ad Cor. 3. Et per hæc patet responsio ad primam confirmationem. Nam licet isti infideles abutantur patria potestate, tamen ille abusus non est per manifestam injuriam contra legem naturæ; imo proprie loquendo non incipit ille abusus usque ad ætatem adultam filiorum, quando illi sunt capaces, ut in vera vel falsa religione instruantur; nam antea non baptizare parvulos, licet respectu christianorum sit contra ecclesiasticam legem vel consuetudinem, tamen respectu infidelium, qui legibus ecclesiasticis non obligantur, non est contra divinum jus positivum, nedum contra naturale. Unde patet, non esse simile illud, quod in 2 confirmatione adducitur, videlicet, si parens velit interficere filium. Nam homicidium est manifesta vis et injuria contra naturalem justitiam. Deinde est alia differentia, quia homicidium est damnum irreparabile, et ideo infans cui infertur hæc vis, est in extrema necessitate, cui ex charitate tenemur succurrere, si possumus. Ad vero ob dilationem baptismi præcise ac per se consideratam, non constituitur infans in extrema necessitate spirituali, cui subvenire possumus alterum jure suo privando, præsertim cum moraliter ac regulariter fieri non possit sine magna perturbatione pacis, et cum occasione belli injusti.

7. Corollarium primum. — Objectio. — Respondetur. — Ex his autem videntur inferri duo. Primum est, si parvulus sit in extremo mortis periculo, tunc saltem posse baptizari invitis parentibus, præsertim secrete et occulte. Primum quidem, quia illa censetur esse extrema necessitas spiritualis, in qua videtur major facultas concedenda. Deinde, quia jam videtur parens moraliter amisisse jus in filium, quia quod parum distat, nihil distare videtur; atque ita sentiunt Antoninus et quidam Guilielm., quem ipse citat, et Soto hic. Quod si objicias, quia baptizare filium, invito parente, est intrinsece malum, cum sit contra justitiam, respondetur primum, id esse verum extra casum necessitatis, in eo tamen cessare solere hujusmodi jura, præsertim cum in illo articulo fere jam sit extinctum paternum jus. Licet autem hoc sit pium et probabile, non est tamen utendum

hac facultate sine magna prudentia et cautela. Et primum observandum est, ut infans in eo jam sit statu, in quo de illius vita corporali moraliter desperetur, ne si fortasse vivat, aut patri sit filius eripiendus, aut post baptismum relinquendus in evidenti periculo apostasiæ. Deinde cavendum est, ne id fiat per manifestam violentiam, cum scandalo parentum infidelium, quia hoc non potest non cedere in injuriam religionis christianæ, et occasionem præbere, ut fiant sacrilegia. Et ratio a priori reddi potest, quia in prædicto casu parens adhuc revera possidet jus suum, et ideo jus habet illud defendendi et tuendi; ergo non potest per vim illo privari, ne admittamus justum bellum ex utraque parte, non fundatum in ignorantia, sed in vero ac reali jure. Et ideo licet ob necessitatem admittamus, posse parvulum in eo casu baptizari, tamen quia illa necessitas non est talis, quæ lumine naturæ cognosci possit, nec versetur circa rem, ad quam parens jure teneatur, ideo non concedimus facultatem subveniendi tali necessitati per vim, sed solum secrete, et sine scandalo.

8. Secundum corollarium. — Secundo infertur ex dictis, si infans jure vel injuria de facto jam sit extra patriam potestatem, ita ut nulla sit spes, neque obligatio restituendi filium parenti suo, vel quia ignoratur, cujus filius sit, vel quia tam longe distat, ut moraliter non possit restitui, sequitur (inquam) in hujusmodi eventu posse hujusmodi filium baptizari sine consensu parentis, vel etiam si constet ipsum fore invitum. Ita docent Cajetan., Soto, et omnes, quia tunc quamvis parens retineat veluti radicale jus, tamen amisit actualem usum ejus, imo et moralem potestatem utendi illo, et ideo necesse est, ne ille infans sit omni auxilio destitutus, ut alius in eo jure succedat, qui possit et debeat curam illius suscipere; ergo ille potest eum baptizare, non expectato parentis consensu. Oportet tamen, ut ille parvulus ita sit orbatus utroque parente, ut nullum etiam tutorem habeat, ad quem jus instituendi seu educandi parvulum pertineat, nam tunc eadem est ratio de tutore, quæ de parentibus, ut recte Paludan. dixit, quamvis Soto in eo casu dicat non fieri tam atrocem injuriam. Ratio est, quia si tutor est institutus ex voluntate parentum, qui potuerunt jus suum in illum transferre, habet eundem justitiæ titulum, cum illud jus in ipsum translatum sit; ergo est eadem ratio justitiæ, nec magis potest